





Disputatio XVI.

Continens *decem* Articuli XI  
Libri Concordiæ,

DE

ÆTERNA PRÆ-  
DESTINATIONE SIVE ELE-  
CTIONE FILIORUM DEI,  
contra Calvinianos:

*Quam assistente divinâ gratiâ,*

SUB PRÆSIDIO

*Reverendi & Clarissimi Viri,*

Dn. LEONHARTI HVT-  
TERI, S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS  
& Professoris in celebri Academia VVite-  
bergensi Publ. in Collegio disputationum  
Theologicarum privato proponit  
& exhibet

M. GEORGIUS HEILBRUNNER  
*Ambergensis Palatinus.*

Ad diem 31. Martij horis pomeridianis.

*Augustinus.*

Si cor tuum non esset fatuum, non crederes fatum.

VViteb. Ex Officina Cratoniana, An. 1604.





Reverendis, Clarissimis, pietate,  
doctrinâ, atque authoritate præstan-  
tissimis Viris :

D. D. STEPHANO GERLACHIO, SS.  
Theologiæ Professori in Academiâ Tubin-  
genſi celeberrimo :

D. D. SALOMONI GESNERO, PROFES-  
ſori Theologo, & Templi arcis VVittebergensis  
Præposito digniſſimo :

D. D. DAVIDI RUNGIO, INCLYTAE VVI-  
tebergensium Academiæ Professori dexterrimo :

*Dominis, Patronis, ac Præceptoribus suis debitâ animi  
subiectione reverenter colendis,*

Exercitium hoc Theologicum in certissimum perpe-  
tux observantiæ gratiq; animi σύμβολον

D. D.

Respondens.

# DE PRAEDESTINATIONE

## THESIS I.

**D**isputationem de Adiaphoris excipit in Christianâ Concordiâ nostrâ ea, quae est de aeternâ Praedestinatione sive Electione filiorum DEI ad salutem. Ibi ex parte Calvinianorum *ειδωλολατρεία* & hypocrisi paucis dispiciendum fuerit.

2. Ibi insignem zelum (ἀλλ' ἔκατ' ἐπίγνωσιν, uti Apostolus loquitur Rom. 10, 2.) prodiderunt, quando verbi divini zelo adeo flagrarunt, ut dicta quae de abolendis statuâ & imaginibus ad cultum erectis loquuntur, simpliciter intelligi, & omnes eas templis suis ejici voluerunt: Hic verbo DEI relicto idolum cordis sui adorant, DEVM nimirum in cerebro Sacramentariorum natum, qui aliud verbo declarat, aliud sentiat: qui per Ministerium verbi blandè admodum omnes homines ad se vocet & alliciat, interim decretum de quibusdam simpliciter servandis, quibusdam verò simpliciter damnandis occultet. Quâ sanè doctrinâ verè hominibus latam portam aperiunt, quae in exitium abducit, Matth. 7, 13, atq; omne solatium nostrum in absinthium convertunt.

3. Quis hîc non exclamet cum Christo: Duces sunt caeci, excolantes culicem, camelum autem deglutientes, qui purgant exteriorem poculi patinaeq; partem, cum intus omnia plena sint rapinâ & intemperantiâ! Matth. 23, 24 & 25: & cum Apostolo: Φάσκοντες εἶναι σοφοί, ἐμώρανθησαν, Rom. 1, 22. ἐμώρανεν γὰρ ὁ θεὸς τὴν σοφίαν τῶ κόσμου τῶν τῶν, 1. Cor. 1, 20.

4. Verum ad rem ipsam, & controversiam, quae nobis cum gente Sacramentariâ hoc in Articulo intercedit: Quam tribus consuetis capitibus, Concordia vestigijs κατὰ πόδα, quod aiunt, insistentes expediemus.

## CAPUT I.

### Status Controversiæ.

5. De Praedestinatione nunquam non varia fuerunt certamina. Ut enim omnia ea, quae Stoici de fatali rerum omnium necessitate, quae item Cerdon & Marcion de tribus principijs, bono, iusto, & malo philosophati sunt, silentio involvamus: reperti sunt Anno Christi 412 Priscillianistæ, qui heresim de absolutâ praedestinatione introduxerunt, hominesq; invitos malos fieri & peccare, vi syderum coactos, non sponte, neq; animi electione, dixerunt.

Epiphanius  
lib. 1. contra hæ-  
reses tom.  
3: fol. 98  
& 99. edit.  
Basil.

A 2

A qui-

6. A quibus, ut alia nonnulla; ita & hoc mutuati sunt Sacramentarij. ut fatalem quandam & absolutam eiusmodi predestinationem, non quidem è vi syderum, sed ex fatali quodam & absoluto decreto DEI emanantem comminisci haud sint veriti.

7. Controversiam verò ipsam quod attinet, ea tam enormiter blasphema est, ut non dicam mens pia ad eius recitationem exhorrescat, verum etiam ipse Satan eam referre vix auset. Ceterum cum isti blasphemiam hanc doctrinam publicis scriptis & disputationibus propugnare magno, sed tamen irrito conatu hodieq; contentus brevibus in eam inquirere operæ precium fuerit.

8. Status controversiæ in eo vertitur: Utrum Deus absoluto quodam & occulto, omnesque causas antegrediente decreto, paucos quosdam ad vitam æternam elegerit: reliquam verò maximam Mundi partem ad æternam damnationem, ex solo beneplacito voluntatis suæ, destinavit: adeo quidem, ut nolit eos pœnitentiam agere, converti, & salvari: An verò Ieriò omnes ex æquo salvatos cupiat, sicque ab æterno erga universum genus humanum fuerit affectus?

9. Illam Sacramentarij: hanc nostri tuentur sententiam; & ita quidem tuentur, ut sedulo observent orthodoxæ Antiquitatis regulam: Quæ DEVS occulta esse voluit, non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecit, non sunt neganda: ne in illis illicitè curiosi, & in his damnabiliter inveniamur ingrati. Ambros. lib. 1. de vocat. gent. cap. 7. Damasc. lib. 1. orth. fid. cap. 2. Non enim decet servum, ut secreta Domini sui scrutetur, inquit Cyprianus in exposit. Symb.

10. Prædestinationis proinde doctrina non à priori inter arcana DEI decreta inquirenda fuerit: Quis enim cognovit mentem Domini? Esa. 40, 13. Sap. 9, 13. Rom. 11, 34. 1. Cor. 2, 16. Altiora te ne quaesieris, Eccli. 3, 22. Prov. 25, 27. sed à posteriori, hoc est, ex verbo DEI revelato de hoc mysterio erit differendum, cum hisce oculis non nisi posteriora DEI videre nobis liceat. Exod. 33, 20 & 23. atq; non nisi per speculum in enigmate, 1. Cor. 13, 12.

11. Verbum hoc revelatum distinguere in Legem & Evangelium, alibi est ostensum. Ex lege verò doctrinam hanc addiscere haud possumus, cum hæc sub denunciatione æternæ mortis ab omnibus plenam & perfectam requirat obedientiam, Deut. 27, 26. & non tam salutem monstrat, quam fugam doceat, Gen. 3, 8. cogitationibus invicem accusantibus & defendentibus, Rom. 2, 15.

12. Sed ex solo Verbo Evangelij, quod nihil aliud est, quam patefactio decreti & mysterij illius temporibus æternis taciti, Rom. 16, 25 & 26. Eph. 1, 9: 3, 8 & 9. Coloss. 1, 26 & 27. 2. Tim. 1, 10: in quo omne consilium Dei, (puta, ad salutem necessarium) nobis est revelatum, Act. 20, 27. Vbi tamen probe attendendum, ne alienam sensum Scripturæ inferamus, sed Spiritus Sancti mentem inde eliciamus, uti alicubi monet Augustinus.

Concor.  
fol. 771.  
edit. Lips.  
Anno 80.

Concor.  
fol. 588.  
760. 761.  
&c.

CAPUT

CAPUT II.  
Thesis sive Affirmativa.

13. Inquit, ne quid incommodi vocabula Præscientiæ & Prædestinationis nobis Concor.  
importent; accurata eorum distinctio præmittenda fuerit. fol. 588.
14. Præscientia enim Dei, (rectius Scientia seu Visio potiùs Dei) qua Deus omnia novit, antequam fiant, & quæ ad bona & mala se extendit, Psal. 139: Esa. 37, 28: 29, 16. Iob. 28, 24. Eccl. 17, 13: 23, 28 & 29. Dau. 2, 22. Matth. 10, 29: cum nihil usquam rerum sit, quod Præscientiæ Dei non sit subiectum. Quomodo enim is, qui finxit oculum, non videret? Psal. 94, 9: adeò quidem, ut qui hanc negat, Divinitatem ipsam negare necessum habeat, quippe cum hinc eam Deus contra idola gentium adstruat, Esa. 41, 22 & 26. Prædestinatio verò non simul ad bonos & malos pertinet, sed tantùm ad filios Dei, qui ad vitam æternam consequendam electi & ordinati sunt, priusquam Mundi fundamenta iacerentur, Eph. 1, 5. Quos prædestinavit, hos & vocavit: vocatos iustificavit: Rom. 8, 30.
15. Deinde Præscientia notitiam duntaxat, non etiam causam denotat: Præscientia enim non est causa eius, quod futurum est, sed id, quod alioquì futurum erat, causa est præscientiæ, uti præclare scribit Iustinus Philosophus & Martyr, Resp. 58. ad orthodoxos. Proinde neq; mali aut peccati causa erit præscientia. Quamvis enim si præscientiam practicam sive intuitivam, uti loquuntur Scholastici, h. e. providentiam spectes, in malis etiam ea concurrat: concurrat tamen non impellendo aut adiuvando, verùm permittendo, & determinando, nempe metas figendo, & malum ad bonum sinem reducendo. Non enim mala fieri sineret, nisi omnipotens de malo etiam facere posset bene. August. in Enchirid: cap. 2.
16. Qua ratione etiam fit, ut scriptura passim DEVM hoc nomine excuset: Ps. 5, 5. Os. 13, 9. Eccl. 15, 11 & 12. Gen. 3, 13. 2. Cor. 11, 3. 1. Tim. 2, 14. 2. Cor. 4, 4. Eph. 2, 2, 2. Tim. 2, 26. Sap. 11, 25: 14, 9.
17. Prædestinatio verò causa est, quæ nostram salutem, & quæ ad eam pertinent, procurat, efficit, iuvat, promovet. Iob. 10, 28. Oves meas non rapiet quisquam de manu mea. Act. 13, 48. Crediderunt, quot quot erant præordinati ad vitam æternam.
18. Denique Prædestinatio præsupponit præscientiam: hæc illam non item.
19. Est verò & alia, & quidem angustior vocis Præscientiæ in scripturâ significatio, qua Deus omnes & singulas personas electorum, qui per Christum salvandi sunt, clementer præscivit, ad salutem consequendâ elegit, & decrevit, quòd ipsos per suam gratiam, dona, atq; efficaciam salutis æternæ participes facere, eos juvare.

juvare eorum salutem promovere, ipsos confirmare, denique ad aeternam vitam conservare velit. De hac agunt dicta Rom. 8, 29. 1. Pet. 1, 2. Rom. 11, 2.

20. Premissa necessariâ hac vocum distinctione, Electionis definitionem proponimus talem: Electio est propositum, sive consilium, aut decretum æternum voluntatis divinæ, quo Deus Pater ab omni æternitate, ex merâ gratiâ & misericordiâ, eos tantum, quos ex genere humano lapsos, & propter peccatum iustè damnatos, per verbum Evangelij auditione perceptum, auxiliante Spiritu sancto, in Christum credituros, inq; ea fide ad finem usque perseveraturos prævidit, ad vitam æternam præordinavit.

Concor.  
fol. 761.

21. Hoc DEI decretum non ita est comparatum, uti Calviniani somniant, quasi Deus ab omni æternitate universum genus humanum in duas classes distribuerit, & unam ad salutem, alteram ad æternum exitium, solo voluntatis suæ beneplacito, sine ullo vel fidei vel incredulitatis intuitu, destinarit: atq; sic militarem quendam delectum instituerit, & dixerit: Hic est salvandus, ille verò damnandus: hic in fide ad finem usq; constans perseverare debet: ille non item. Hac ratione enim pensitata Electione, vel Epicuræa apud profanos securitas, vel certissima apud perturbatas & afflictas mentes sequitur desperatio: usus S. Scripturæ, qui est docere, arguere, erudire in iustitia, vitæ emendationem predicare, consolari, 2. Tim. 3, 16. Rom. 15, 4. annihilatur: Verbi & Sacramentorum efficacia omnis evertitur.

Concor.  
fol. 763.

22. Longè aliter Scriptura nobis doctrinam hanc proponit: Quod nimirum Deus ab omni æternitate prævidens lapsum primorum parentum, in ijsq; veluti stirpe & radice, totius generis humani perditionem, solâ motus misericordiâ, in suo consilio proposuerit, decreverit, atq; voluerit, ut genus humanum verè redimeretur.

23. Vnde etiam est ardens illud desiderium, quo (voluntate antecedente) omnium hominum salutem seriò sitit & expetit, quod Scriptura passim inculcat: Ezech. 18, 23. 33: 11. Numquid desiderando desidero mortem impij, dicit Dominus DEVS. Vivo ego, nolo mortem impij, sed ut convertatur & vivat. O igitur beatos nos, quorum causa DEVS iurat: O miserrimos, si nec iuranti Deo credimus! Id ipsum docent & alia Scripturarum testimonia. 1. Tim. 2, 4. 2. Pet. 3, 9. Sap. 11, 25. Rom. 11, 32. Matth. 11, 28. Iohan. 3, 16. Sap. 12, 20. Eph. 1, 9 & 10.

Tertul. lib.  
de pœnit.

24. Quis verò nos ex proprijs viribus nunquam in integrum restitui poteramus: siquidem Lex infirmata per carnem Rom. 8, 3, importabile erat iugum, quod neq; patres, neq; nos prestare possumus, Act. 15, 10. DEVS, qui est pater misericordiarum, & Deus omnis consolationis, 2. Cor. 1, 3, Filium suum universo generi humano mittere decrevit, quò illud hac ratione cum Deo reconciliaretur, Ephes. 1, 10. Col. 1, 20. Iohan. 3, 16. 2. Cor. 5, 18, 19 & 21. Esa. 53, 6. 1. Ioh. 4, 9, 10 & 14.

25. Christus quoq; innocentia atque perfectissima obedientia, passionis ac morte acerbissima iustitiam, quæ coram ipso valet, & vitam æternam

nam

nam nobis promeruit, 1. Tim. 2, 6. 1. Iohan. 2, 2. Iohan. 1, 29. Iohan. 6, 51. Gal. 4, 4 & 5. Tit. 2, 14. Rom. 5, 18 & 19. 1. Cor. 15, 22. Iohan. 12, 32. 2. Cor. 5, 14 & 15. Heb. 2, 9.

26. Hæc Filij missio & satisfactio tam latè se extendit, quàm ipsa Dei misericordia. Hæc verò ad omnes & singulos sese extendit. Illa proinde non minùs ad omnes & universos atque hæc sese extendet. Majorem ne ipsi quidem negabunt Adversarij: Minor probata est Thes. 22. & 23.

27. Atq; hoc quidem doctrinae caput aded fundatum est in scripturis, ut Christum non modò pro renatis, quorum plurimos gratiâ Dei excidere & eternum perire scriptura testatur; sed in specie pro reprobis & damnatis mortuum esse liquidò testentur: 2. Pet. 2, 1. Rom. 14, 15. 1. Cor. 8, 11. Hebr. 10, 29: ita, ut vel ἀπώστια τῆς δαυοίας, vel malitiâ laborare Bezam oporteat, quando scribit: Certè nobis intolerabilis vox vestra visa est, Christum esse mortuum pro damnatis. Colloq. Momp. ad Thes. 7. VVürtemberg. de pradest. pag. 514. Resp. 2. ad acta Coll. Momp. pag. 216. Idem in brevi explic: totius Christianismi c. 4. aph. 5. vol. 1. Tract: pag. 181. Similia habent Zanchius in Miscell. lib. 2. pag. 280. Beumlerus fol. 144.

28. Dei quoq; æternum decretum est, quod Christi meritum eiusq; beneficia per Verbum & Sacramenta nobis offerri, exhiberi, & distribui debeant. De qua universali vocatione agit scriptura Matth. 28, 19: 11, 28. Marc. 16, 15. Act. 17, 30. 1, 8. Rom. 10, 18. Coloss. 1, 6. & 23. 1. Tim. 2, 4. Tit. 2, 10. Conc: fol. 589.

29. Ac licet non semper ubiq; actu prædicetur Evangelium, sed DEVS interdum, præcedentem hominum ingratitude puniens, regioni alicui famem audiendi verbum Domini immittat, Amos 8, 11: interim tamen Ecclesiam suam semper in illustri aliquo loco collocat, ut fama eius etiã ad remotissimas gentes dimanare possit, inter quas si qui Ecclesia Dei se adungere volunt, Deus istud non prohibet. Exemplo sunt Rahab, Ios. 6, 23. Heb. 11, 31. Gibeonitæ, Ios. 9. & aliq.

30. Quæ Vocatio per Verbum Evangelij non est simulata aut fucata, quâ Deus simul et tantum, se non delectari hominũ exitio, cujus tamen beneplacitum & arcana voluntas sit, ut maxima Mundi pars æternis mactetur supplicijs: sed verè seria est, & voluntas beneplaciti, qua Deus seriò hoc agit, hodieq; seriò vocat per verbum omnes, & vult, ut omnes ubiq; resipiscant, Act. 17, 30. Hinc etiam est, quod tanto gemitu, quin imò profusissimis lacrymis contumaciam pereuntium prosequitur, Matth. 23, 37. Luc. 13, 34: 19, 41. Esa. 65, 2. Quin & per ministros verbi rogari nos vult, ut Deo reconciliemur, 2. Cor. 5, 20. ut non immeritò apud Esaiam dicat: Nunc ergò habitatores Ierusalem, & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meam: Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? Esa. 5, 3. & 4.



Admon:  
Neostad:  
Hanov.  
edit.  
Anno 98.  
f. 139.  
Vrsinus  
fol. 258.  
explicat.  
Catech.  
Neost.  
edit.

31. Et ne vnus quidem est teruntij, quod Pareus in explic. Catech. Vrsinò ex admonitione Neostadianâ ab eodem scriptâ citat, quâ nostros illorum doctrinam suggillare scribit, quasi doceant: Deum simpliciter non velle, ut omnes homines convertantur & seruentur: ac proinde simulatè & non seriò omnes ad se vocare, aut fovere intus contradictorias voluntates. Nihil istorum, inquit, est nostrum. (Quid ergo, Vrsine?) Vult enim Deus seriò omnium conversionem & salutem, quantum ad approbationem & letitiam suam &c. Nihil ergò simulat, cum omnes iubet respicere, ut seruentur: sed seriò & verissimè ostendit suo verbo, quid sibi placeat, & quid homines ipsi & sibi debeant. Non autem vult omnes, sed tantum, quos elegit, converti & seruari, quod ad suam effectiōnem attrinet, conversionis & salutis ipsorum.

32. Edissere, quæso, nobis Vrsine, quis ille sit, qui in ijs, quos elegit, conversionem & salutem efficit? Numquid Deus? Affirmatè respondebis. Hoc concesso quæro; Annón Deus conversionem & salutem hominum, quoad approbationem, sitiens, quando homines ad auditum verbi allicit & vocat; & ijs tantum, quid sibi placeat, ostendit, neq; ijs velle & persicere largiri constituit, cum ipsi ex naturalibus suis viribus nihil boni cogitare, nedum persicere, queant, simulare dicendus sit? Affirmas prius. Noli ergò negare consequens. Vides proinde, Ecclesias nostras vestrâ doctrinam non, vti tu scripturas, suggillare, neq; præter meritum quid vobis affingere: sed te insignem esse ματαιόλογον & λογολαίδαλον.

Conc. fol. 588. 589. 33. Hac Dei voluntas non est absoluta: sed ordinata ad media salutis, nimirum Christum, qui est liber vitæ, in quo omnes inscripti sunt, qui salutem æternam consequentur, Eph. 1, 4. & Verbum ex parte nostra, in quo Deus librū hunc nobis proposuit evolvendum, hoc est, agnoscendum, & verâ fide amplectendum; idq; non paucis, sed omnibus hominibus, quos ubiq; Dominus vocat ad pœnitentiam, Act. 17, 30.

Conc. fol. 763. 766. 34. Per hoc Verbum annunciatum, auditione perceptum, & memoria commendatum, decrevit Deus, se Spiritu S. suo velle in nobis efficacem esse, vel corda ad pœnitentiam agendam inflectere, eaq; verâ fide illuminare: Illiusq; æternum propositum est, quod omnes, qui pœnitentiam verè agunt, & Christum fide amplectuntur, iustificare, in gratiam recipere, filios & heredes vitæ æternæ adoptare velit.

Damasc. lib. 2. de Orthod. fide, c. 29. 35. Cum verò Deus, ut ex dictis patet, non absq; medijs, sed per certa salutis media homines salvare, & ad vitam æternam eligere decreverit: idcirco hinc altera Dei voluntas oritur, orthodoxæ Antiquitati, & cum primis Damasceno, Voluntas consequens dicta, quâ media hæc considerantur non ut ex parte Dei oblata, sed ut ex parte hominum vel usurpata, vel neglecta.

36. Vnde & geminum consequentis huius voluntatis oritur decretum: Electionis vnum, Reprobationis alterum. Electionis tale est: Vivo ego Deus, volo & decerno, ut omnis, qui credit in Christum, inq; fide hac ad finem vsq; perseverat,

verat, non pereat, sed habeat vitam eternam, Iohan. 3, 16. Matth. 10, 22. Reprobationis vero tale: Vivo ego Deus, volo & decerno, ut, qui non credit in Christum, non habeat vitam eternam, sed condemnerur, Ioh. 3, 16.

37. Quomodo vero, & vnde agnosci possit, quoniam sint Electi, & quibus doctrina hæc solatio esse possit ac debeat; Concordia ex Rom. 8, 30. Quos prædestinavit, hos & vocavit, hunc in modum definit: Dominus non solet homines immediatè vocare: sed per Verbum eos, quos vult, vocat: Vnde & præcepit, ut ipsius nomine penitentia & remissio peccatorum prædicentur, Luc. 24, 47. Confer cum his parabolis Christi de regijs nuptijs Matth. 22. de vocatis in vineam Matth. 20. & similes. Sunt ergo electi, qui vocem Christi audiunt, Ioh. 10, 27. credunt in Christum, Ioh. 1, 12. Marc. 16, 16. 2. Thess. 2, 13. invocant Deum, eique gratias agunt: sanctificantur in charitate, Ephes. 1, 4. perseverant in patientiâ & consolatione sub cruce, Rom. 8, 23. subindicans nimirum, eos tantum in cætu vocatorum (extra hunc enim nullos electos agnoscimus, Rom. 8, 30.) ad vitam eternam electos esse, qui vocationi divinae per verbum oblate parent. & ex auditu verbi fidem concipiunt, inq; hac ad finem vsq; vite perseverant, Matth. 24, 13.

Concord:  
fol. 766.

38. Explicanda hic venit Quæstio: An Electi fidem & Spiritum Sanctum amittere possint? Hoc vero haud obscure innuit Concordia his verbis: Decretum Dei æternum est, quod opus illud bonum à se in illis incæptum promo vere atque confirmare, & ad finem usq; conservare velit: si modò verbo ipsius tanquam scipioni constanter innitantur, ipsius opem ardentibus precibus implorent, in gratiâ Dei perseverent, & dona accepta fideliter & benè collocent. Et iterum: Scriptura testatur, Deum, qui nos vocavit, ad eò fidelem esse, ut cum bonum opus in nobis incæperit, illud continuare, atque ad finem usq; producere & perficere velit: si tamen non ipsi nos ab eo avertamus, sed initium substantiæ usq; ad finem firmum retineamus.

Conc:  
fol. 763.

39. Cui assertioni suffragatur etiã Confessio Augustana art. 12. sic scribens: Damnant Anabaptistas, qui negant, semel iustificatos posse amittere Spiritum sanctum.

Conc:  
fol. 766.

40. Vbi quàm diligentissimè observari volumus: nos non hoc velle. quod Electi finaliter fidem ac Spiritum sanctum amittere possint. Electi enim dicuntur, qui non modò incipiunt credere, sed etiam in eâ fide ad finem usq; perseverant.

41. Eos vero ad tempus Spiritum sanctum, & quidem totaliter, amittere posse plurimis scripturæ testimonijs & exemplis firmissimè evinci potest. in presenti autem sufficiant hæc Scripturarum testimonia: Ezech. 18, 24. & 26. Rom. 8, 8. & 13. 1. Cor. 6, 9. & 10. Gal. 5, 19. 20. 21. 1. Pet. 2, 11. 1. Cor. 10, 12. 1. Tim. 1, 19. 2. Tim. 2, 18. Ioh. 8, 34. 1. Ioh. 3, 15. Matth. 12, 31. & 32. Hebr. 6, 4. 5. 6: 10, 26. & 27. 2. Pet. 2,

20. & 21. Luc. 11, 24. 25. 26. 1. Cor. 9, v. ult: Hebr. 3, 14. Quod ipsum etiam testantur exempla: Davidis, 2. Reg. 11. & 12. Psal. 51. Solomonis, 3. Reg. 11. Aaronis. Exod. 32. Petri, Matth. 26, 70. & seqq. &c.

42. Etsi verò quandoq; in eiusmodi peccata contra conscientiam incidunt Electi: firmum tamen manet fœdus & pactum electionis ex parte Dei, in quod per pœnitentiam semper regressus est resipiscens. Nam si nos increduli sumus, ille fidelis manet, negare seipsum non potest, 2. Tim. 2, 13.

Conc.  
fol. 764.

43. Atq; si isti per pœnitentiam redeunt ad Deum: tum idem ille Deus in æterno suo consilio decrevit, quod eos, quos elegit, vocavit, justificavit, in alterâ æternâ illâ vitâ salvos facere, & æternâ gloriâ ornare velit, Rom. 8, 30

Conc:  
fol. 768.

44. Definitis hoc modo Electis, facile iudicium ferre licet de Reprobis, quânam illi sint, & vtrum absoluto quodam & fatali decreto sint reprobati? Sunt nimirum ij, qui Verbum Dei contemnunt, execrantur, atque persequuntur, Matth. 22, 5. & seqq. qui audito verbo corda sua contra illud obfirmant, Hebr. 4, 7. qui Spiritui sancto resistunt, Act. 7, 51. neque in Christum credunt, Marc. 16, 16. qui externâ quadam specie pietatem præ se ferunt, Matth. 7, 15: 22, 12. aut extra Christum alias iustitiæ & salutis rationes quærent, Rom. 9, 30. & seqq.

Conc:  
fol. 769.

45. Sunt verò hi reprobati non absoluto quodam decreto Dei: sed illi sibi met ipsis sunt obstaculo, dum pauci verbum Dei seriò recipiunt, eiq; sincerè obtemperant: plurimi contemnunt verbum, neq; in regis nuptijs comparent; vel si comparent, tamen sunt *ἄποικοι*, & tempore persecutionis rursus desiciunt. Quod Christus multis ostendit Matth. 20: 22: Luc. 8, & alibi.

46. Cujus sanè rei causa non hæc est fingenda, quasi Deus illis, in quibus capit bonum opus, gratiam suam ad perseverandum dare nolit: sed vera causa defectio hæc est, quod sese à sancto Dei præcepto avertunt, 2. Pet. 2, 21. quod Spiritum Sanct. contristant, Eph: 4, 30. quod coinquinationibus huius Mundi (suâ culpâ & voluntate) rursus implicantur, 2. Pet: 2, 20. Satanae hospitium cordis sui adornant, ut ita posteriora fiant deteriora primis, Luc. 11, 26.

Conc:  
fol. 777.  
778.

47. At verò, inquires, nemo ad Christum venire potest, nisi pater traxerit eum, Iohan. 6, 44. Libenter equidem hoc largimur. Trahit verò Deus non immediatè & modo Enthusiastico; sed, vti sæpiùs dictam, per verbum & Sacramenta, idque virtute Spiritus Sancti. Quod verò non omnes, qui Verbum istud audiunt & Sacramentis utuntur, credunt, & idcirco damnantur: non existimandum est, Deum illis salutem invidere. Ipsi potiùs suæ perditionis causa sunt: propterea, quod Verbum non audiunt studio discendi, sed blasphemandi & spernendi.

48. *Ac licet Deus interdum in Scripturis quosdam dicatur indurare; id tamen non sensu Calviniano accipiendum est, quasi à Deo ipso manet efficacia erroris: sed tribuitur Deo, ut opus judicarium, quo precedentem hominum impietatem vindicat. Et huc pertinet elegans Augustini dictum serm. 88. de Temp: Primò hoc fideliter & firmiter credendum: quia nunquam Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur semel, secundo, aut tertio gravia peccata committente, & Domino nihilominus illum expectante.*

Calv. lib. 1.  
Inst. c. 18.

49. *Atque hæc quidem sunt, quæ de Prædestinatione contra Calvinianos differere volumus: Plura de eâ dicere instituti nostri ratio non permittit.*

50. *Si proinde Electionis mysterium hoc modo consideraverimus: ita ut ea, quæ nobis non sunt revelata, soli divina sapientia, eiusq; judicijs, (quæ secundum Augustinum occulta esse possunt, injusta esse non possunt) committamus: maximus eius sese offeret usus.*

51. *Hæc siquidem doctrina Articulum Iustificationis egregiè confirmat, quòd videlicet gratuito propter solum Christum justificemur & salvemur: Quin & Errores de liberi arbitrij viribus retundit, cum Deus ante jacta fundamenta Mundi omnia, quæ ad salutem nostram faciunt, solus perficere decreverit: Consalatur porro in adversis, quòd Deus jam ab omni æternitate de modo consequenda salutis nostræ adeò fuit sollicitus: quòd item in omnibus calamitatibus nobis adesse, patientiam sub cruce, crucisq; talem eventum largiri decrevit, quò omnia p̄ys in bonum cedant, Rom. 8, 28. Docet item, Deum Ecclesiam suam adversus omnes inferorum portas defensurum.*

Cone.  
fol. 769.  
fol 770.

### CAPUT III.

#### Antithesis sive Negativa.

32. *Explicatâ & confirmatâ puriore Ecclesiarum nostrarum doctrinâ de proposito Controversiæ statu; nunc antithesin brevissimis subjiciamus. Reijcimus proinde sequentia Calvinianorum dogmata.*

I. *Quod Deus nolit, ut omnes homines pœnitentiam agant, & Euangelio credant.*

II. *Quando Deus nos ad se vocat, quòd non serid hoc velit, ut omnes homines ad ipsum veniant.*

III. *Deum non velle, ut omnes salventur: sed quosdam, non ratione peccatorum suorum, verum solo Dei consilio, proposito, & voluntate ad exitium destinatos esse, ut prorsus salutem consequi non possint.*

Cone:  
fol. 591.

53. Totius verò huius plusquam blasphemæ structura fundamentum est absolutum illud, omnesq; causas antegrediens decretum de quibusdam simpliciter & absolutè servandis; quibusdam verò simpliciter & absolutè damnandis.

54. Quod sanè dogma, vti supra quoq; fuit ostensum, 1. contumeliosum est in ipsum Deum, qui nihil odit eorum, quæ fecit, Sap. 11, 20. Ezech: 18, 23: 33, 11. Osee 13, 9. 2. è diametro pugnat cum Scripturis sacris, quæ Deum non absolutè, sed respectu fidei elegisse credentes: incredulos verò respectu incredulitatis damnare asseverant. 3. Christum cum suo merito è prædestinationis negotio eliminat. Si enim decretum Dei, ex hypothese Calvinianâ, absolutum est; in Christo fundatum esse nequit. 4. Tandem apud impias & profanas mentes Epicureismum plenis velis invehit: turbatis verò conscientijs desperationis casses neçtit.

55. Proscribimus verò etiam ex hoc mysterio Pelagianam istam hæresin, quam nobis Adversarij contra conscientia suæ testimonium affricare haud verentur: quòd videlicet non sola Dei misericordia, & sanctissimum Christi meritum: sed etiam in nobis ipsis causa aliqua sit electionis divinæ, cujus causa ratione Deus nos ad vitam æternam elegerit. Nunquam enim vel per sebrim nostris Ecclesijs in mentem venit, ut statuerent, fidem ut qualitatem aliquam aut virtutem in nobis ingredi electionis arcanum, quemadmodum Tossanus in disput: de Pelagianismo, & Author libri Staffortici Ecclesijs nostris præter meritum affingunt: sed relatè eam considerant, quatenus ea ὀργανικῶς apprehendit meritum Christi, ut alibi fusius ostenditur.

Et hæc quidem de Prædestinatione contra Calvinianos dicta sunt: Alteram primariam controversiam de universali omnium hominum, tam incredulorum, quàm credentium electione, disputationi sequenti reservamus.

F I N I S.



Staff:  
fol. 397.



